dauit: nempe primum hominis peccatum & apostasiam à Deo. Ex hoc fonte non argenteum, aut aeneum, aut heroicum, sed ferreum illud, hoc est, durum, improbum, & pernicax hominum genus est ortum, de quo Poetæ quidem suo more fabulantur. Moses autem hic vere scribit: & scriptura passim
Rom.5.12. *queritur:* Per vnum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors transiit, eo quod omnes peccauerunt. *Et Deus:* Pœnitet
Gen.6 5.7. me quod fecerim homines in terra: quia omnis imaginatio cogitationum cordis eorum tantummodo praua omni die, &c. *Hæc igitur pars doctrinæ, vt præcedens de Creatione etiam propria est Ecclesiæ, ignota carni & rationi humanæ, de origine & causis peccati & malorum in mundo. Est q; tota legalis, quia lex detegit & accusat peccata & ex ordine diuinæ iustitiæ maledictionem irrogat. Recitat vero etiam Moses dulcissimam concionem Dei ad primos parentes post lapsum de semine mulieris contrituro caput serpentis, de Christo inquam liberatore generis humani, victore Diaboli, peccati & mortis. Absque ea si fuisset, absorpti fuissent primi parentes barathro inferni, & vniuersum genus humanum sub ira Dei in æternum periisset. Hæc igitur fuit prima Euangelii concio, qua homines in luctu desperationis suffulti, & quasi ex morte rursus suscitati ad Deum redierunt, à quo defecerant, & facti sunt noua Ecclesia per fidem in Filium Dei promissum liberatorem, quæ Ecclesia & fide deinceps diuinitus est seruata, & voce Patriarcharum, Prophetarum & Apostolorum hucusque propagata est in genere humano.*

Ex quibus apparet, historiam huius capitis verissime dici posse Catechesin primitiuæ Ecclesiæ *seu Veteris Testamenti, quam pii parentes haud dubie sedulo inculcarunt suis liberis, de præcipuis capitib. doctrinæ cœlestis, de hominis originali præstantia, de lege & cultu Dei, de origine humanæ miseriæ ex seductione Diaboli, de lapsu & peccato hominis, de ira Dei & de pœna peccati, de Euangelio & promissione gratiæ, de semine mulieris Christo, de fide, de Ecclesia, eiusque propagatione & conseruatione in mundo & alia quamplurima: quæ licet temporis successu vberius fuerunt reuelata & explicata sicuti riuus se latius diffundit, quo longius à scaturigine profluit: tamen ex hoc fonte primum omnia scaturiunt & necessario hauriuntur. Vnde vtilitas ingens huius historiæ intelligitur. Hæc de argumento & vsu.* Partes potissimum sunt duæ.

DE hominis tentatione & lapsu. A *vers. 6.*

II. De lapsus consequentibus & pœnis. *à versu 7. vsque ad finem.*

Vtraque rursus varia membra continet.

In PRIMA describitur:

1. Tentator seu author tentationis. *vers. 1.*

2. Tentatio ipsa: *versib. 5. primis.*

3. Hominis libera inclinatio, assensio & peccatum: primum mulieris; deinde viri. *ver. 6.* B

In ALTERA parte primum memorantur consequentia humani lapsus quatuor.

1. Agnitio turpitudinis. *ver. 7.*

2. Vox Dei detegens & accusans hominis peccatum. *ver. 8. 9.*

3. Trepidatio & fuga hominis à Deo. *ver. 10.*

4. Tergiuersatio & hypocrisis hominis peccatoris. *ver. 11. 12 13.*

Deinde pœnæ peccantibus partim denunciatæ partim inflictę duplices: singulares & communes.

Singulares quatuor.

1. Serpentis seductoris. *ver. 14 15.*
2. Mulieris. *ver. 16.*
3. Viri. *ver. 17.*
4. Terræ. *ver. 17. 18.*

Communes tres:

1. Vita laboriosa & ærumnosa. *v. 19.*
2. Mors corporalis. *ver. eod.*
3. Iectio è Paradiso, & Paradisi custodia. *ver. 22. 23. 24.*

Huic secundæ parti insertæ sunt duæ parentheses plenæ consolationis, & instar duarum gemmarum pretiosissimarum fulgentes in hac luctuosissima historia,